

et juramentum calumniæ, quod expresse remitti nequit. — Nec obstat, quod juramentum calumniæ de expresso consensu partium nequeat remitti, l. 2. § Sed quia. c. de Jurejurand. propter calumn. dand. et cap. I. § Propter omissum. de Jurament. calumn. in 6. Disparitas enim inter juramentum testium, et juramentum calumniæ, jam supra tit. 7. De Juramento calumniæ. § 3. n. 47. assignata fuit. Siquidem expressa remissio juramenti calumniæ præberet ansam calumniandi, et cum agatur de proprio interesse partium, circumveniendi partem alteram, sicque violandi jus publici iudicii; et sic contra bonos mores foret talis remissio et proinde non valeret. Nam generaliter pacta, quæ invitant ad peccatum, non sunt servanda, l. Illud. ff. de Pactis dotalib. et ult. de Pactis: unde nec valet pactum, ne dolus præstetur, l. Contractus. ff. de Reg. jur. Secus accidit in juramento testium: nam hujus remissio, etiam expressa, non sic inducit ad peccandum, eo quod non agatur de proprio interesse testium, a quo facilius solet animus corrumpi; quinimo juramentum testium respicit potius favorem partium, cui per has remitti potest. Glossa c. Tuis questionibus. 39. § Remittatur. et Abbas ibid. n. 6. h. t.

482. Ut remittatur juramentum testibus, requiritur utriusque partis consensus. — Resp. II. Ad hoc, ut remittatur juramentum testibus, requiritur utriusque partis consensus. Ita Joan. Andreas cit. c. Tuis questionibus. n. 4. et Abbas ibid. n. 4. h. t.; Farinacius cit. quæst. 74. n. 86. cum aliis. Ratio est, quia testis tenetur testificari, pro utraque parte veritatem deponendo; unde etiam utrique parti posset præjudicium generari ex falso ejus testimonio: ergo utriusque partis interest, ut testes sub juramenti religione ad veritatem edicendam compellantur; et consequenter ad istud juramentum remittendum requiritur etiam utriusque partis consensus, juxta reg. 66. juris in 6. « Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. »

483. Solvitur instantia ex c. Tuis questionibus, h. t. — Objicies contra datam conclusionem. In cit. c. Quis questionibus. h. t. fit mentio solius consensus adversarii, seu remissionis juramenti per ipsum factæ, ibi: « Nisi forte a parte remittatur adversa: » ergo sufficit consensus solius adversarii. Resp. neg. consequent. Quia ideo textus ille fecit mentionem duntaxat de remissione juramenti per partem adversam, contra quam

testes inducebantur; quia pars altera, seu producens testes, ultro in hoc jam consenserat volendo testes producere absque interventu juramenti: sed pontifex hoc illius intentum reprobat, nisi forsitan accesserit etiam remissio partis adversæ. Abbas ibid. n. 4.

484. An ad remittendum juramentum testibus requiratur auctoritas iudicis? — Urgebis. Requiritur ulterius consensus, et auctoritas iudicis, ut juramentum testibus remitti possit; ergo non sufficit consensus utriusque partis duntaxat. Resp. neg. anteced. Licet enim Glossa in cit. c. Tuis questionibus. § Remittatur. et Baldus ibid. n. 6. et Ancharanus n. 4. h. t. et Speculator tit. de Teste. § Sequitur. n. 6. pluresque alii velint, juramentum illud testium non posse remitti a partibus, nisi accedente simul auctoritate et consensu iudicis: oppositum tamen est probabilius, tum per allegatum textum cit. c. Tuis questionibus; tum per l. Si convenit. juncto summario. ff. de Re iudicat. ubi dicitur, quod si partes concordant, qualiter sententia feratur, iudex debeat sequi eorum voluntatem. Ita Abbas, ubi supra, n. 3; Pirhing h. t. n. 124; Farinacius d. quæst. 74. n. 91. allegans plures alios. Multo minus potest iudex partibus invitatis remittere dictum juramentum, ut tradit idem Farinacius n. 88.

485. Dantur aliqui casus, in quibus juramentum testibus remitti non potest. — In causa matrimoniali, quando agitur de matrimonio dissolvendo: alias secus. — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus juramentum testibus remitti non potest. Ita communis; et patet inductione. Sic imprimis nequit remitti juramentum testibus in causa matrimoniali, quando agitur de matrimonio dissolvendo. Glossa in cit. c. Tuis questionibus. § Remittatur. et abbas ibid. n. 5. et Barbosa n. 3. h. t.; Speculator cit. § Sequitur. n. 6; Mascardus de Probation. quæst. 5. proœm. n. 3; Farinacius n. 92. et alii. Idque merito, ne alioquin partes ad invicem colludere possint contra valorem matrimonii, c. Super eo. 5. « De eo, qui cognovit consang. uxor. » Secus dicendum, quando agitur de matrimonio contrahendo: tunc enim bene potest partibus juramentum remitti. Glossa, Abbas, Mascardus, Barbosa, ubi supra, Speculator cit. n. 6. Farinacius n. 941. et alii.

486. Et in causis criminalibus, præsertim capitalibus. — Deinde nequit testibus remitti juramentum in causis criminalibus; præsertim capitalibus: quia tunc non agitur de pri-

vato duntaxat favore partium, sed potius de communi et publica reipublicæ utilitate, utpote cuius interest, delicta non manere impunita, sed castigari, l. Si iia vulneratus. ff. Ad Legem Aquiliam, cum concordantiis. At qui favori publico partes renouari nequeunt, c. Si diligenti. 12. de Foro compet. et l. Jus publicum. ff. de Pactis; ergo.

487. Et quando agitur de beneficio ecclesiastico, etc., ac in causis civilibus arduis. — Tertio, nequit remitti juramentum testibus, quando agitur de beneficio ecclesiastico, aliave re spirituali non dependente a mera voluntate partium. Farinacius cit. quæst. 74. n. 93. et alii. Idemque dicendum in causis civilibus arduis, utpote quæ æquiparantur criminalibus. Barbosa cit. n. 3; Farinacius n. 85. allegans alios.

488. Juramentum testium, qua forma sit præstandum? Debet esse personale, ac præstari tactis sanctis Evangeliiis. — Quæritur III. Qua forma juramentum testium sit præstandum? Resp. I. Juramentum testium debet esse personale, ac præstari tactis sacrosanctis Evangeliiis. Ita Glossa 1. in l. Jurisjurandi. c. h. t. Abbas c. Tuis questionibus. n. 7. h. t.; Speculator cit. tit. de Teste. § Sequitur. n. 4; Farinacius quæst. 74. n. 20; Pirhing h. t. n. 118. et alii. Idque patet ex can. Hortamur. 4. dist. 9. ubi jubentur testes jurare « tactis sacrosanctis Evangeliiis. » Concordat textus in Clem. 1. § Porro de hæretic. ibi: « Jurabunt ad sancta Dei Evangelia corporaliter a se tacta. »

489. Spectato rigore juris, qui non habet manus, nequit testimonium iudiciale dicere. Juramentum quando possit præstare solo verbo? — Unde, quamvis regulariter juramentum possit præstari solo verbo, et absque tactu sacram Scripturarum; secus tamen est, ubi juramentum defertur a jure tactis sacrosanctis Evangeliiis: quia tunc non sufficit, quod solo verbo juretur, aut in conspectu sanctorum Evangeliorum, sed necesse est, ut eorum tactus interveniat. Et hinc spectato rigore juris, qui non habet manus, nequit testimonium iudiciale dicere: quia oportet, ut testes jurantes tangant manibus sacras Scripturas. Mascardus de Probat. concl. 1365. n. 40; Farinacius cit. n. 20. allegans Rotam de Jurament. calumn. decis. 1, alias 37, n. 4, in nov. et alios.

490. De consuetudine alicubi sufficit jurare tangendo quaslibet sacras Scripturas. Consuetudo hæc stricte interpretanda; et qualis esse de-

beat? — Verum, quod de consuetudine alicubi sufficiat jurare tangendo quaslibet sacras Scripturas, etiam si non sint Evangelium; censet Glossa in cit. Clem. 1. § Porro. § Tacta de hæretic. et Abbas cit. c. Tuis questionibus. n. 7. h. t. Farinacius d. quæst. 74. n. 22. allegans alios. Quamvis deinde addat, consuetudinem illam esse stricte intelligendam; simulque debere esse specificam, expressam, et servatam super non tactu Evangeliorum: alioquin enim, ubi talis consuetudo in specie non viget, testis juxta dispositionem juris communis jurare debet ad sancta Evangelia.

491. Episcopus receptus in testem jurat, non tactis, sed positus ante se Evangeliiis. — Excipitur tamen hinc episcopus: qui licet receptus in testem jurare debeat, et alioquin non probet; nihilominus non jurat tactis corporaliter sacris Evangeliiis, sed tantummodo iis coram se positus, et inspectis tangendo pectus suum, juxta Auth. Sed iudex. c. de Episcop. et Cleric. et cap. ult. juncta Glossa § Per te ipsum. de Jurament. calumn. et confirmat generalis consuetudo, de qua testatur Farinacius cit. quæst. 74. n. 81. et 82; Pirhing h. t. n. 121. aliique ab his copiose citati.

492. Testes prius debent jurare, quam deponere; alias non valet testimonium. — Resp. II. Testis prius debet jurare, quam deponere: adeo, ut probabilius non valeat testimonium, si prius deponat, et postea primum juret. Ita desumitur ex l. Jurisjurandi. c. h. t. quæ est canonizata in can. Si testes. § Jurisjurandi. 4. q. 3. ubi dicitur: « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarctentur: » et notat Glossa in cit. l. § Jurisjurandi, reddens rationem: « Quia aliter esset ordo præposterus. » Bartolus ibid. in 2. Lectura. not. 1. ponderans dictionem illam, priusquam. Mascardus de Probation. concl. 1369. n. 10; Gailus lib. 1. Practicæ. observat. 101. n. 7; Farinacius d. quæst. 74. n. 31. citans plurimos alios, hancque sententiam asserens esse magis inter doctores receptam. Accedit textus in c. Fraternalitatis. 17. h. t. ibi. « Receptis prius testimonium juramenti: » juncto c. De testibus. 29. ubi Joan. Andreas n. 2. Abbas n. 8. Felinus n. 5. h. t. et alii. Siquidem antea jurans, religione juramenti non præsumitur falsum dicere: sed postea jussus jurare, etsi prius falsum dixisset, tamen ob verecundiam, et metum infamiæ, contrarium dicere non au-

det; et sic juramentum tunc destituit suo fine, cessatque dicta præsumptio.

493. *Quid si prius deponant, et postea jurent?* — Additur tamen in conclusione, « probabilius non valet. » Nam, quod præfatus ordo non sit substantialis, adeoque valeat testimonium, si testis prius deponat, et postea primum juret, non pauci, præsertim ex antiquioribus, tenent; uti videre est apud auctores proxime relatos. Accedit Gailus lib. I. *Practic.* observat. 101. n. 7. in camera receptum esse, quod depositio testis, ante juramentum facta, eatenus valeat, si post eam incontinenti sequatur juramentum: tunc enim dictum testis censetur juramento informatum, juxta illam regulam: « Quæ incontinenti apponuntur, censentur inesse, » l. *Juris gentium.* § *Quinimo.* ff. *de Pactis.* cum similibus.

494. *Testis debet jurare præsentem adversario.* — Resp. III. Testis debet jurare præsentem adversario, et depositionem juramenti audiente: nisi forsitan citatus, contumaciter absit. Ita Speculator tit. *de Teste.* § *Sequitur.* n. 4. et communis; patetque ex cap. II. h. t. et dictis supra § 413. 418. et 421. ac seqq.

495. *Nisi forsitan citatus, contumaciter absit.* — Additur notanter, « nisi forsitan citatus contumaciter absit. » Quia, si debite fuerit citatus adversarius, et tamen noluerit venire, et quidem contumaciter (hoc est, « non ex inevitabili quadam necessitate » præpeditus, ut loquitur textus in cit. cap. II. h. t. sed forsitan malitiose sua absentia impeditur receptionem testimonium) perinde testimonia receptorum testimonium valebunt, ac si ipso præsentem facta fuissent. Textus est in d. cap. II. h. t. et in Auth. *de Testibus.* § *Et hic vero.* collat. 7.

496. *Et quid, si adversarius justa de causa venire nequiverit.* — Quod, si vero citatus adversarius ex inevitabili quadam necessitate, sive (ut explicat Glossa in cit. cap. II. § *Inevitabili.* h. t.) justa de causa detentus, venire nequiverit: tunc probata postmodum tali causa absentiae, nec ipse censebitur contumax, neque valebunt attestations testimonium ipso absente receptæ; sed erunt in irritum revocandæ, sicut et sententia inde secuta. Glossa in cit. cap. II. § *Inevitabili.* h. t. et Abbas ibid. n. 11. et 12. alique doctores, quos citat, et sequitur Farinacius quæst. 72. *de Testib.* n. 20. Idque clare patet ex d. Auth. *de Testib.* § *Et hic vero.* atque ex textu cit. cap. II. h. t. argumento a sensu contrario

desumpto: et concordat c. *Cum Bertoldus.* 18. *de Sent. et re judicat.* et l. *Si prætor juserit.* § *fin.* ff. *de Judiciis.*

§ XV.

DE EXAMINE TESTIUM, AC INTERROGATORIIS SUGGESTIVIS VITANDIS.

497. *Testes sunt examinandi ab ipsomet judice.* — Quæritur I. A quo, coram quibus, et ubi examen testimonium sit instituendum? Resp. I. Testes sunt examinandi ab ipsomet judice: utpote qui in persona testimonium diligenter explorare debet, cujus conditionis, « et cujus dignitatis, et cujus existimationis sint, et qui simpliciter visi sint dicere: utrum unum eundemque; et præmeditatum sermonem attulerint: an ad ea, quæ interrogaverit, ex tempore verisimilia responderint. » Textus est in l. 3. ff. h. t. ubi pluribus officium, atque potestas judicis in examinandis testimonibus, et discutiendis argumentis, quanta fides habenda sit testimonibus, declaratur. Concordat Auth. *Ut defuncti, seu funera,* etc. § *Illud etiam.* collat. 5. ubi ipsimet administratores (id est, ordinarii judices, ut explicat Glossa § *Administratores*) per seipsos jubentur examinare testes, ut possint istos terrere, et si opus fuerit, juxta Glossam ibid. § *Testibus,* etiam per torturam cogere ad ferendum testimonium: nisi forsitan alii publicis occupationibus impediti, examen istud testimonium inferioribus consiliariis delegare cogantur.

498. *Qui tamen ex causa potest examen testimonium alteri committere.* — Et notanter hoc ultimum additur. Quia si judex ordinarius justis de causis impeditus testes personaliter examinare nequiverit, aut ipsimet testes remote abfuerint, ita ut difficulter ad eum accedere valeant; tunc judex poterit alteri, puta, consiliario suo, aut alteri idoneæ personæ, vices suas delegare, eique examen testimonium committere: ita tamen, ut ipse postea causam audiat, sententiamque sibi reservet, ac proferat, cit. § *Illud etiam.* Concordat textus in l. *Judices,* juncta Glossa, et summario. c. *de Fide instrument.* ubi disponitur, quod judices possint committere examinationem absentium testimonium judici illius territorii, ubi testes degunt, et commonere partes ut adsint delationi juramenti ab ipsis testimonibus præstandi. Quinimo ad excipiendum testimonium mulierum, quæ personaliter ad judicium invitæ trahendæ non sunt, posse transmitti ta-

bellionem, aut aliam personam idoneam, habetur decisum cap. II. *de Judiciis,* in 6.

499. *Testes sunt examinandi secreto, et singillatim.* — Resp. II. Testes sunt examinandi secreto, ac singillatim; etsi per hoc non excludatur præsentia notarii, eorum depositiones in scripta redigentis. Ita speculator tit. *de Teste.* § *Nunc tractandum.* n. 2; Abbas c. *Cum causam.* 37. n. 5. h. t. et alii. Prior pars constat ex c. *Venerabili.* 52. juncta Glossa § *Examinare.* h. t. et l. *Nullum.* c. eod. et c. *Inquisitionis.* § *Tertiæ de Accusation.* ibi: « Qui post juramentum interrogati secreto. » Idque merito fit exemplo Danielis, qui secreto ac separatim examinavit ducem senes, qui accusabant castam Susannam. Alioquin enim, si non ita secreto et singillatim testes examinarentur, sed omnes simul et semel interrogarentur, periculum foret, ne unus instrueret alterum, sicque omnibus eodem modo respondentibus, falsitas deprehendi non posset.

500. *Etsi per hoc non excludatur præsentia notarii, eorum depositiones conscribentis.* — Altera vero pars constat ex c. *Quoniam contra.* 11. *de Probation.* ubi judex in judicio jubetur adhibere publicam personam, sive notarium, aut alios duos viros idoneos, qui fideliter inter alia acta judicii conscribant « testimonium depositiones: » et consequenter notarius ille, aut alii duo viri idonei debent interesse examini testimonium, horumque depositiones audire. Nam id, quod dicitur, testes secreto, ac nemine audiente esse examinandos, refertur tum ad partem litigantem, quæ non potest interesse examini, et depositioni testimonium, ne forsitan ejus præsentia deterriti, vereantur libere veritatem edicere: tum ad alios simul testificaturos, qui pariter cæterorum depositiones audire non debent, ne ab illis instruantur, quod dicant. Neutiquam tamen illud refertur ad notarium, aut illos alios duos viros idoneos, qui necesse habent acta judicii conscribere. Sicut a simili in c. *Quia propter.* 42. *de Election.* jubetur electio prælatorum fieri secreta, ac singillatim: haud obstante, quod tres de collegio fide digni assumantur, qui vota singulorum eligentium in scriptis redigant; imo et notarius publicus, alique testes extranei ad negotium illud electionis assumi valeant; prout jam alibi, videlicet lib. I. tit. VI. *De Electione.* § 5. n. 124. et 126. dictum fuit.

501. *In examine testimonium super crimine hæresis, præter notarium, adhibentur alie duæ discretæ personæ.* Consultum est, ut idem fiat

in aliis causis multum arduis. — Accedit textus notabilis in c. *Ut Officium.* § *Quia vero de Hæretic.* in 6. ubi in causa hæresis, propter negotii gravitatem, et ad præcavendum quemlibet errorem, mandat pontifex, ut inquisitores in examine testimonium, super crimine præfato recipiendorum, præter publicum notarium adhibeant alias duas religiosas et discretas personas. Atque, ut hoc ipsum judex faciat in aliis causis multum arduis, adhibendo videlicet in examine testimonium præter notarium alios duos fide dignos viros, ne unquam de ejus fide dubitari contingat: monet Abbas c. *Cum causam.* 33. n. 5. h. t.; Baldus in l. *Nullum.* n. 5. c. eod. et Felinus c. *Venerabili.* n. 3. h. t. Id ipsum consulunt plures alii, quos pro hac sententia allegat Farinacius *de Testib.* quæst. 80. n. 93. et 96. quamvis ipse dicat, communem observantiam esse in contrarium, seque nunquam vidisse talem cautelam servari.

502. *Examinatio testimonium regulariter fit in loco judicii.* — Resp. III. Receptio, atque examinatio testimonium, regulariter in loco judicii per ipsummet judicem die non feriato institui debet; et, nisi necessitas aliud exposcat, ante prandium, dum testes adhuc jejuni, et melius sibi præsentem existunt, cap. I. juncta Glossa fin. h. t.; ac notat Engel h. t. n. 48. post Sutingerum observat. 54. et seqq.

503. *Quamvis etiam extra judicium et ubi vis locorum fieri possit.* — Additur tamen, « regulariter. » Nam quod examinatio testimonium, si opus fuerit, aut expedire videatur, etiam extra judicium, et ubique locorum fieri possit: notat Abbas in c. *Quoniam contra.* n. 31. *de Probat.* id desumens ex textu ibidem, dum notarius jubetur in actis judicii scribere depositiones testimonium. « loca designando, tempora. » etc. Id ipsum declaratur inductione.

504. *Personæ egregiæ domi suæ examinari debent.* — Sic quippe personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent, l. *Ac personas.* ff. *de Jurejurand.* ubi dicitur: « Ad personas egregias, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jusjurandum. »

505. *Inter has connumerantur episcopi, sacerdotes alique clerici, item personæ illustres, doctores et milites.* — Porro inter « personas egregias » connumerantur episcopi, sacerdotes, alique clerici, eo quod sint constituti in altiore gradu Ecclesiæ; ac notat Abbas c.; *Si qui testimonium.* n. 5. et 6. h. t.; Pi-